Vos onerare nolim, ac puto vobis in ea re
etiam meam consuetudinem notam esse.
Sed tamen et pro benevolentia vestra, et pro
munere vobis gratias ago. Hodie mecum
fuit Cancellarius Pomeranicus rediens ex
conventu Spirensi, qui narravit exitum
conventus satis placidum et paratum esse.
Deus adsit suis Ecclesiis. Iam hic expecta-
mus adventum Principum Ducis Saxoniae
Electoris, et Landgravii. Fratris vestri filij
erunt mihi curae, Habent fidelem et ho-
nestum praeceptorem Frisium. Bene et feliciter
valete. die 26. Aprilis.

Philippus Melanthon.

Reverendissimo Dno Nicolao Amsdorfio
Epo Naumburgensi Viro optimo et
vera pietate Deum colenti suo patrono.

S. D. Reverendissime Due, Adhuc dei beneficio
filij mei recte valent, et mediocriter student,
Mihi, donec abfuit Magister Frisius, exhibuerunt

scripta sua, quae ipsi composuerant, quae mihi
satis placuerunt. Deus adolescentiae studia
provehat et defendat propter suam Ecclesiam.
De Turcis audio, Tyrannum reduxisse exercitus
in Thraciam, et Regem Ferdinandum ite-
rum dimisisse suas copias. Brevi, ut spero,
ad vos cum Ioachimo veniam. Bene et
feliciter valete. die 23. Octobris.

Philippus Melanthon

C. R. VI, p. 95. Reverendissimo Dno Nicolao ab Amsdorff
Episcopo Naoburgensi, eruditione et pietate
praestanti patrono suo cum observantia
colendo.

S. D. Reverendissime Due, gratias ago tibi pro pe-
cunia bibliopolae missa, quam quidem ei ex-
hibui multis amicis praesentibus.
De propositionibus contra Malvendam editis,
gaudeo tibi eas probari. Cupio enim consen-
sum Ecclesiarum nostrarum tueri, nec velim